



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 42. Dissidium inter Vadegotiæ Abbatem & Pont-Saraviensem Comitem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. datum est, Catholicis ejusmodi profes-
 A. C. 1727. lytos Lutheranae Ecclesiae adeo non
 invidentibus, ut etiam suam Ecclesiam
 ab hac fæce expurgari lætarentur.

§. XLII.

*Dissidium inter Vadegotiæ Abbatem,
 & Pont-Saraviensem Co-
 mitem.*

Fruebatur jam a tempore memoriam
 hominum excedente exemptionis
 prærogativa, longe celeberrima Præ-
 monstratensium Abbatia nomine Vade-
 gotia in Austrasia tertio lapide a Sara-
 Ludovici Urbe sita: postquam vero
 Carolus Ludovicus Nassavio - Pont-
 Saraviæ Comes religione Lutheranus
 sui Comitatus Regimen adierat, hanc
 Abbatiam, ejusque bona ac subditos
 sibi tanquam supremo Domino Terri-
 toriali subjectos esse obtendebat. Op-
 ponebat jam tum Gretschenus Abbas
 hujus Monasterii, exemptionis privi-
 legium & foundationis ac donationis
 diploma ab Henrico IV. Imperatore
 concessum, vi cujus hæc Abbatia pro
 immediato Imperii Statu agnosceba-
 tur: id etiam ex literis, ut vocant
Reversalibus Anno 1466. datis constare,
 & Comitibus nonnisi *protectionis* ac de-
 fensionis jus competere, demonstrabat.

Nihilo-

Nihilominus tamen, cum novus Abbas Anno 1705. Hermannus Merz eligeretur, Comitis Administri armata manu in scrutinii locum sese intrudabant, & inter acerbiores minas Homagium a Neo - electo Abbate præstari postulabant: insuper subditos illorum quinque pagorum, qui ad Abbatiam pertinebant, jam ab Anno 1703. immodicis exactionibus vexabant, atque ab Abbate ejusque subditis reversales de præstandis ejusmodi tributis extorquebant. Adversus tot tantasque violentias Abbati nil reliquum erat, nisi ut hac in caussa Cæsareæ suæ Majestatis judicium expeteret; re igitur ad Imperialis Cameræ Tribunal delata, ac diu matureque discussa contra Caroli Ludovici defuncti Successorem Comitem Fridericum die vigesima sexta Junii Anno 1726. expediebatur *mandatum de non contraveniendo fundationi Monasterii & Partis Majorum, sed relinquendo in statu immedietatis.* Præterea declaratum est, *reversales tam ab Abbate illicite & nulliter datas, quam a subditis injuste extortas fuisse.* Verum Comes Cæsareis hisce decretis Pacem Westphalicam Art. V. §. 25. violari, seque jurisdictionis in hanc Abbatiam possessione perperam dejici questus, a monasterii subditis pecunias *via*

Hist. Eccles. Tom. LXXII. Pp exe-

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Sæc. XVIII. *executionis* extorsit, & ligna ex Comitibus sylva jure veteri debita ob denegatum homagium intercipi jussit, ac denique totam causam ad Imperii comitia, seu *Corpus Evangelicorum* devolvit: Cum autem ejusmodi recursum Imperator novissime Anno 1715. prohibuisset, & Comes novis hisce vexationibus nuperum *Camere Imperialis* mandatum transgressus esset, hinc rursus ab eodem Cæsareo Consilio admonebatur, ut prioribus mandatis pareret, secus pœnis a jure statutis plectendus, & Abbati *petitæ* protectionis remedium esset concedendum: Pariter *Saraviensis Cancellariæ Directori, Consiliariis, Secretariis, & Registratoribus* injunctum, ut a *Monasterio* *petitas*, quas ipsi occultassent, *fundationis* *litteras*, aliaque in *Saraviensi* *Archivo* *reposita* *documenta* *ederent*, vel *validiores*, quam *hactenus* *fecissent*, *rationes* *proferrent*. *Iteratis* *hisce* *mandatis* *Comes* *se* *graviter* *læsum*, *sibi* *que* *fundatam* *in* *Monasterium* *jurisdictionem* *contra* *anni* *normalis* *statum* *esse* *ademptam* *vehementer* *querabatur*: unde *solicitantibus* *Protestantium* *Principum* *Legatis* *caussa* *recognita* *est*, quo *facto* *contra* *Comitem* *decisum*, *præceptum* *que* *est*, *ut* *is* *fideliter* *exequatur* *Camere* *Imperialis*

rialis mandatum de non gravando alienos
subditos onere insolito, nec non man-
datum de non turbando in possessione vel
quasi juris lignandi, ac denique man-
datum de facienda repartitione Circu-
larium & onerum Provincialium, secun-
dum proportionem debitam, concurrentibus
Deputatis Conventus Vadegotiani cum ci-
tatione, ut constet, reperiri collectas ab
Anno 1703. immodice solutas, atque exi-
gerentur rationes de omnibus Provinciali-
bus oneribus similiter præstitis cum resu-
sione residui.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

§. XLIII.

Hæc causa Cameræ Imperialis judi-
cio decisa.

Adversus hæc mandata Comitum Con-
 siliarii, nescio quas opponebant
 querelas, quibus tamen insuperhabitis
 Camera Imperialis die decima septima
 Julii hanc pronuntiavit sententiam. I.
 Foundationis literæ, & alia documenta,
 quibus Abbatis, Prioris & Monasterii
 Vadegotiani jura innituntur, pro legi-
 timis habenda sunt, cum olim in actis
 Vadegotianis contra Veldentium Anno 1551.
 in rotulo Commissionis originaliter coram
 Imperiali Judicio fuissent exhibita, ibi-
 demque adhucdum eorum transumpta
 afferrentur. II. Comitum Cancellari-
 us,